

Hiberniæ II. Tab. in qua Ultonia, Cónacia, Media, & pars Lageniæ.

VLTONIA.

HIBERNIA in genere descripta; antequam ad specialio rem singularum partiũ delineationem me accingam, operæ precium putavi primum, distributionem ejus proponere. Hibernia in quinque partes seu Provincias dividitur. In *Lageniam* quæ ad Orientem est Angliæ proxima: *Connaciam* vel *Connachtiam* quæ ad Occidentem vergit: *Ultoniam* in Septentrionali parte: & *Momoniã*, in Australi plaga sitã. Quinta pars *Media* appellatur, quæ medio loco sita a cæteris clauditur. In hisce quinque Provinciis alia quædam notabilia territoria ponuntur, ut in *Lagenia* includuntur *Fingalia*, *Offalia*, *Leisia*, *Ossiria* & *Ormundia*. In *Media* reponuntur *Slania*, *Fowria*, & *Delvinia*. In *Comania* comprehenditur *Claria*; In *Ultonia* continetur *Vrilia*, *Antrimenia*, *Lecalia*, ac *Treconcha*: In *Momoniam* concluduntur *Trippetaria*, *Keria*, *Cosmaia*, *Desmondia*, *Tomondia*, nonnullaque alia. Est & alia Hiberniæ partitio quam in Tabula generali etiam attigimus: hæc magna cum cura & diligentia est consideranda, si quis hujus terræ statum cognitum, ac perspectum habere aveat. Quare observare diligenter oportebit, Hiberniam in duas partes distributam esse, in Anglicam & Hibernicam, Hæc Germani & genuini Hiberni, illam Anglorum progenies incolit: eaque portio, plebeio sermone, Anglica Provincia nominatur, quod sit Anglorum territorii, quasi Palis & Septis circumfessa. Etenim posteaquam Angli Dermicium, exactum Regem, Hibernicis hostibus, armis castrisque oppressis, in patriam atq; adeo in Regnum restituerunt: Angli victores sedem stabilem & domicilia certa, in lectis Hiberniæ locis habuerunt: deinde cum inter se & domitos Hibernos, quædam quasi Insulæ divortia fecissent, illam partem, in qua coloniam collocarunt, Anglicam Provinciam appellaverunt. Hac major Lageniæ & Mediæ pars, ac ea Ultoniæ portio, quæ *Vrilia* dicitur, continetur, sed præcipua Lageniæ particula, quæ *Fingalia* vocatur, *Dublinio*, ad Aquilonarem plagam, finitima, primas tenet; *Media* secundas. Mercator autem partes priore distributione a nobis positas, quatuor tabulis luculenter exhibet, ab *Ultonia*, *Connacia*, *Media* & parte *Lageniæ* factò initio, Harum omnium partium, quo ordine ab Authore nostro ponuntur, delineationem, quam potero fidelissimè, proponam. Offert se primo loco *Ultonia*. Pars hæc Hiberniæ prima Latine *Ultonia* dicitur, Anglis *Ulster*, Hibernicis *Cui Gully*, id est, Provincia *Gully*, Britannis *VVltw*. Protenditur ad mare Hyperboreum, & hinc *Buinda* a *Media*, illinc *Erno* Lacu & *Bannio* fluvio a *Connacia* dirimitur. Regio ampla, alicubi ferax, alicubi macra, viriditate tamen ad aspectum ubique jucunda, & pecoribus refertissima. *Ioannes Curtius* primus Anglorum hanc regionem aggressus est, & *Duno*, *Armachaque* expugnatis, universam aut bello, aut deditioe complexus est, primusque *Ultoniæ* Comes est dictus, sed cum illi res prosperè gestæ ita invidiam conflassent, ut ex suis virtutibus, aliorumque vitiis in exilium ageretur: *Hugo Lacy* qui illum bello persequebatur, datus erat a Rege *Ioanne* successor. Hujus unicam filiam *Gualterus de Burgo* Dominus *Connaciæ* uxorem duxit, & uxorio jure creatus est *Ultoniæ* Comes, permanfitque ille honor in *Richardo* filio, & *Gulielmo Muto* hujus *Ioannis* filio ex *Elizabetha*

Regio.
Nomina.
Situs.
Soli qualitas.
Imperium.